

RECTOR ACADEMIÆ LIPSIENSIS.



Variis modis, & exemplis perquàm illustribus, vitæ humanæ inconstantiam fragilitatemq; non solum scriptura θεόπνευστος, sed etiam Ethnica vetustas sapiens expressit; quæ si paulò diligentius ab homine considerentur, certè non possunt non illius commovere animum, ut & agnoscat mortalitatis suæ conditionem, & de fine curriculi hujus æumnosi, atq; exitu ex hac vitâ miserâ ac fugaci subindè cogitet. Nam ut mittamus alia, quæ passim in scriptis Philosophorum, Oratorum, Poëtarum Veterum occurrunt: an non egregiè evidenterq; illi vitæ nostræ brevitatem atq; incertitudinem ob oculos posuerunt, qui ποιφύλαγα τὸν ἄνθρωπον id est, *Hominem bullam* esse dixerunt; item qui eundem cum foliis plantarum atq; arborum comparârunt; qui vitam illius σκιᾶς πᾶ' ἔρδον, *Umbrae transitum*; καπνῶ σκιάν *fumi umbram* esse prodiderunt; quibus scilicet rebus nihil naturâ mutabilius atq; fugacius esse solet? Verùm in hac consideratione mutabilitatis & incertitudinis vitæ nostræ, multò maximum est discrimen inter eos, quibus lux splendidissima verbi celestis divinitus accensa affulsit; & illos, qui in extremâ ignorantia doctrinæ salvificæ, & caligine superstiosæ gentilitatis horrendi, versantur. Nam hi neq; causam miseriæ humanæ, incertitudinisq; & inconstantia vitæ nostræ intelligunt; neq; consolationem ullam in his æumnis solidam & efficacem habent, dum in luctu & squalore constituti, vel ad communem fortunam societatemq; æumnarum confugiunt, vel ita statuunt, hominem morte semel ereptum extinctumq;, non
ampli-